



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

De paradiso. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

habens doctrinam & uerbum uitæ intellectus nostri, reuelator omnium quæ in thesauro Dei continentur, ostensor patris, fontis sapientiæ & gloriæ eius. quæ ostensio, est receptio sapientiæ in se intellectualiter, uiuificans æternaliter ipsum, & faciens ipsum similem CHRISTO filio Dei, qui est in gloriâ Dei patris. Et hoc est esse foelicem, & regnare perpetue in cœlestibus summo gaudio beatitudinis. & hæc sunt promissa CHRISTI, omnibus ipsum recipientibus firmissima.

DE PARADISO Cap. XVIII.

Diceret Arabs aliquis: Remota sunt & multum distantia illa quæ de paradiso in Alchoran leguntur, & ea quæ euangelium promittit. Alchoran enim desideriorum omnium complementum credulis et legem seruantibus promittit, describitq; illa desideria quæ cōmuniter appetuntur per uoluptuosos; sed euangelium solum promittit intellectualem foelicitatem, quæ est in uisione intellectuali, & scientia, sapientiâ, & cognitione. Respondemus, semper nobis apparuisse, tantum inter paradisum Mahumet & CHRISTI interesse, quantum inter sensibilia & intellectualia; aut inter uisibilia, quæ sunt temporalia, & inuisibilia, quæ sunt æterna. Sic & de Alchoran & euangelio pariformiter. Sunt tamen qui allegant pro excusatione compositoris Alchoran, quomodo ipse rudes Arabes trahere uolebat, ut in unum creatorem crederent, qui dedit eis uiuere in hoc sæculo temporali, quod ille etiâ eis esset daturus, in sæculo futuro perpetuo uitam sine defectu, multo ista uita meliorem.

Quodq; ad hunc finem, ut in Alchoran legitur, plures similitudines introduxit, quas tamen nō exposuit, sed sapientibus illas notas reliquit. & nisi exempla sumpsisset ab hac uita sensibili prædicando futuræ uitæ iocunditatem, neque intellexissent, neq; moti fuissent propter promissa eis incognita. Ait enim Cap. 51. Crederentes & benefacientes pulcherrima loca paradisi possessuri, omne suum uelle perficient. Hocq; lucrum est maximum. Huiusmodi pollicitum, illis summam læticiam denunciat. Vnde uidetur unam conclusionem uelle prædicare, scilicet quod Deus est remunerator fidelium sibi seruientium, secundum spem & desideria seruientis: pro seruitute temporali temporalia assequetur, pro perpetuis perpetua, pro uoluptuosis uoluptuosa, pro intellectualibus seruiens intellectualia habebit. Sic enim dicit cap. 6. Deus omnium uota dinoscens, omniumq; diues, mundana quærentibus temporale, cœlestia petentibus atque cœlestibus summum bonum tribuit. Et Cap. lib. dicit: Studiose honorū huius sæculi dabimus illa, sed nullā in alio portionem habebit. Ideo ubi in primo cap. dicit bonos paradisum introire, ubi dulcissimas aquas, pomaq; multimoda, fructus uarios, et decētissimas ac mundissimas mulieres omneq; bonum in æternum possidebunt: aduertendum ad id quod dicit, omneq; bonum in æternum possidebunt: utiq; illud non est aliud quam Deus. tamen sensibilibus promissiones sapissime repetit, & demum in Cap. 64. dicit: Omnes itaq; sapientes timeant Deum, dantem omnibus credentibus sapientiam, suiq; noticiam. Et cap. 107. dicit, Paradisum apud Deum forientur. Et sæpe ponit similia, scilicet quod æterna uita, æternum gaudium, & beatitudo, sit remuneratio. Dicit etiâ in doctrinis, quod nulla futuri sæculi tradipossit similitudo. Ideo non uidetur finaliter, quod possit euangelio contradicere, quod paradisum intellectualium & sapientū, uisionem dei & eius sapientiæ seu CHRISTI asserit. Ideo Alchoran alibi, eos qui in inferno sunt, priuatos ait discretionē & sapientiâ. Etiam alibi, enumeratis omnibus quæ in hoc mundo uidentur, & quæ sæpe promittit paradisum intrantibus: addit, quod bona futuri sæculi his omnibus sunt meliora, quoniam istud seculum in comparatione ad illud futurum nihil sit. Vnde sicut per similitudinem cruciatus ignis sensibilis poenā

Christi præstantia.

Inter Mahumeti paradisum & Christum quanta distantia: item inter euangelium & Alchoran.

Alcorani scopus.

Futuri sæculi nulla tradisimilitudinem posse.

poenam eorum qui damnati sunt describit, ita per aquam & fontes vitam salu-
torum. Non tamen complete intellectualem foelicitatem describit, secundū A-
uicennam in metaphysica sua. Nam licet esset de lege Arabum, affirmat Machu-
met corporalem foelicitatem describere, & quod intellectualis, illa multo excel-
lentior, per sapientes melius describatur. Sed Alchoran licet minus extense, per-
fectam foelicitatem sapientum ponat in noticia Dei & sapientiae, quae est filius
Dei secundum praemissa; quemadmodum & euangelium ex CHRISTI perfe-
ctissima doctrina. Præterit enim iste mundus cum concupiscentijs suis. Illa uero
quæ futuri & perpetui mundi sunt, habent se ad ista huius mundi sicut perpe-
tuum ad corruptibile. Vnde noticia seu uisio Dei patris & sapientiae eius, pater
scit immortaliter intellectum, quia sapientia est immarcescibilis, ut liber sa-
pientiae docet.

INVECTIO CONTRA ALCHORAN.

Cap. XIX.

Aduerti dum legerem Alchoran, quomodo sapissime fit mentio de die tre-
amendi iudicii, paradiso, & inferno, & semper uarie & per similitudines.
Cum aliter id quod nunquam in conceptum hominis intrauit, describi non pos-
sit: nisi coniecturaliter ad sensibilia, quæ intelligibilium imagines existunt, &
quia ita uidi per uarias similitudines regnum coelorum signari in euangelio &
ueteri testamento, intra me admittere, posse illa, pia sequacium libri interpre-
tatione, excusari. Verum postquam legi ibidem, castitatem in uirgine Maria, &
in Ioanne Zachariae, & generaliter in omnibus laudari, & quod concubitus in
templis prohibetur, & lotio post ipsum præcipitur ante orationem ob eius foedi-
tatem, quodq; mundicie Deo grata sit, ac quod Deum uident boni, & cum ipso
sunt in paradiso, & quod Deus ipsos maxime amet, & eis id quod maximum est
retribuet, ac quod ipsum maximum, simpliciter non sit nisi gaudium sempiternū
& incorporeum: stupebam de eo quod saepe de puellis, & earum papillis, & be-
stiali concubitu in paradiso totiens replicauit, dicens Cap. 85. illam esse optimam
Dei remunerationem credentium; & uerecundabar illa turpia legere, intra me
dicens: Si Mahumet adscribit Deo hunc librum plenum turpitudine, aut si ipse
scribit & Deo auctoritatem tribuit, miror quomodo sapientes & casti uirtuteq;
præditi, Arabes, Mauri, Aegyptij, Persæ, Afri, & Turci, qui illius legis esse di-
cuntur, Mahumet pro propheta habeant, cuius uitam nemo sequi potest, qui ad
regnum coelorum anhelat, ubi non nubent, & similes angelis sunt, ut CHRISTVS
docuit. Nam tam turpia ita turpiter nemo loquitur, nisi plenus omni tali turpi-
tudine. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et hoc uerū esse, patet ex Cap.
42. ubi dicit Deum uoluptates etiam illicitas alijs, iuxta prohibitionem quæ po-
nitur 7. Cap. Alchoran in fine, & uoluntarias quascunq; ei permisisse. & quod
iuramentum licitum factum per ipsum, ne adulteraretur cum Maria Christiana
Iacobina, præcepisset deleri. De quo loquitur Cap. 75. in principio, contra illa quæ
alibi de damnatione adulterorum & periurorum dicit. Ipse enim in Cap. 77. per
iueros, qui ob sui saluationem iurarunt, esse damnatos affirmat. Quomodo igitur
non ueretur Deum blasphemare, cui ascribit periurium præcepisse, ut adul-
terium continuaretur per ipsum? Probat & hoc plura quæ circa mulieres permi-
sit. Ut illud Cap. 3. Mulieres uobis subiectas penitus, pro modo uestro ubicun-
que uolueritis parate. Et Cap. 8. tot permittit uxores, quot quiuerit quisq; subi-
gare, seu castigare. Et cap. 9. sic dicit: Liber hic uobis coelitus missus, licitum atq;
tenendum hoc uobis statuit, ut pecunijs uestris castas mulieres eis præbendo du-
catis. Itaq; taliter uestris factis, quod deinceps placuerit, ruboris atq; timoris ex-
pertes

Sensibilia intel-
ligibilium ima-
gines.

Alchoran turpi-
tudine plenus.

Periurium cum
adulterio.